



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Imprimatur

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

stiam, azymo usus sit, vel fermentato. Secunda, an in utroque valida sit consecratio. Tertia in quo pane convenientius fiat. Hæc tria sunt, quæ magno ardore inter Græcos & Latinos agitata sunt. Ego autem ad I. asserui cum omnibus Orthodoxis Christum in ultima cæna azymum consecrassè. Ad II. quoque dixi validam esse consecrationem tam in azymo, quam in fermentato. Ad III. affirmo convenientius omnino esse in azymis conficere, & Christi exemplum sequi. Dixi tamen ex facto Christi non concludi, ita necessario faciendum: nam Orientales fermentato utuntur, præcipientibus Apostolicis Constitutionibus, ut singule nationes suum ritum servent. An verò Ecclesia Latina aliquando fermentato usa sit, res facti est, nullo modo ad dogma pertinens, sed ad ritum, qui mutationem & novitatem admittit, ut Lib. I. Cap. VI. §. 1. ostendo. Cum itaque in hoc Libro propositum mihi fuerit, historiam scribere, quæ soli auctoritati inimitur, ea tradidi, quæ apud præscos Scriptores inveni. Obsecro autem viros doctos, ut primò observent, me passim uti nominibus opinionis & conjectura: tum dixi, Me paratum esse certiora docentibus statim & ex animo consentire: & in fine Lib. II. Lectores precatus sum, ut si quid incautiùs scripsi, ignoscant, corrigant, & emendent. Rem ergò gratissimam facient, si prolatis ex antiquitate testibus amicè ostenderit me errasse. Deinde observare debent, quod initio §. 7. dico, Apostolos panem consecrassè, qualem in domibus fidelium reperiebant, non dico fermentatum, sed qualem reperiebant, sive azymum, sive fermentatum; præsertim apud Hebræos, qui certis diebus azymis utebantur: quæ in re Arcudio consentio, qui lib. de sacram. cap. 3. ait verisimile esse, Apostolos pro varietate locorum, gentium, & temporum, modo azymo, modo fermentato usos fuisse. Et §. 3. dixi, quod sæviente persecutione Azymum semper habere non poterant: ergo pro certo pono aliquando habuisse. At inquirunt me multa congerere ad probandum, quod usus fermentati per octo sæcula perstiterit in Ecclesia Occidentali. Fateor, sed non excludo usum azymi: nam veterum Patrum & Historicorum testimonia, quæ profero, non nisi pro suis Ecclesiis & provinciis & temporibus probant. Nec adeò Dialecticè sum ignarus, ut nesciam argumentum ab Inductione non concludere necessario, nisi omnia singularia sufficienter enumerentur, quod difficillimum est. Denique nunquam dixi, Ecclesiam aliquo præcepto usum fermentati universaliter decrevisse: quod tamen asseveranter dicunt Principes Theologorum, S. Thomas à me citatus §. 5. Sanctus Bonaventura 4. sent. dist. II. art. 2. quaestione 1. Scotus ibidem quaestione 6. Durandus quaestione 4. & his antiquior Alensis p. 4. de sacr. Euchar. quaest. 10. memb. 4. art. 1. §. 3. narrantes historiam Ebionitarum, de cujus fide ago eodem §. 5. Et hunc usum docent, donec viguit illorum hæresis, ubique permansisse. Ergo usus fermentati, ut isti asserunt, eo tempore communis fuit, & ab earum opinione ego non discrepo, nisi quod eundem usum in quibusdam locis ad plures annos extendo. Omitto plura, nam hominibus eruditiss, & bonæ voluntatis ista sufficiunt: aliis nec integra volumina satisfaciunt. Hanc autem paginam claudio præclaræ Quintiliani sententia, quæ S. Hieronymus in casu non dissimili usus est. Felices artes, si de iis soli artifices judicarent.

Imprimatur. Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro sacri Palatii Apostolici.  
J. de Angelis Archiepisc. Urbini Vices-gerens.

**R**ERUM Liturgicarum libros ab Eminentissimo & Reverendissimo D. Joanne Bona Cardinali compositos, honoris causa jussu perlegi eximie pietatis, doctrinæ, & eruditionis refertos, & quos Religiosissimus quisque inoffenso decurrat pede, tum ob facundiam, perspicuitatem, ordinem, elegantiamque dignissimos qui diu multumque expectati, magno Ecclesiæ bono & Eminentissimi nominis ornamento proferrantur in lucem III. Kal. Decembris M. D. C. LXX.

Imprimatur. Fr. Hyacinthus Libellus sacri Palatii Apostolici Magister.

RERUM